



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

274. Feria 2. de Fortitudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica 15. post Pentecosten. 487

seph. 2. Fiducia nos roborat, & invincibiles facit, & ipsa impetrat à Deo quidquid nobis expedit. 3. Excitat fiduciam puritas cordis.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Deum in omnibus nostris negotijs præsentem, & adjuvantem advertere. 2. In necessitate Dei & Sanctorum auxilium exposcere. 3. Pro certo habere orationes nostras exaudiendas, si utilia poscimus. 4. Si Dominus auxilium distulerit, non desperare. 5. In eventibus contrarijs, desiderio nostro nullo modo confidentiam deponere. 6. Vitæ puritate nos ad divinas inspirationes, quibus fiducia creatur, exhibere. 7. Recurrere ad panem vitæ, qui ait nobiscum se esse usque ad consummationem seculi, collocando me in loco novissimo, imò spiritualiter mastando: quia *neesse est, ut cætera hæc agimus* (Eucharistiam frequentamus) *nosmet ipsos Deo in cordis contritione mastemus.* Ita D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 59.

MEDITATIO CCLXXIV.

Feria 2. Domin. 15. post Pentecost.

De Fortitudine.

Aspiciam Dominum IESUM inter leones & tauros pingues impavidum Fortitudinis exemplar. Petam eum imitari.

Conf. 1. Virtus Fortitudinis appetitum irascibilem moderatur, quâ labores, mortis-

X 4 que

488 *Feria 2. Dom. 15. post Pentecost.*

que pericula constanter suscipiuntur, ac perferuntur; sive quia homo erga terribilia, & acerba se rectè habet, ita, ut neque timendo, neque audendo à ratione desciscat, juxta sanctū Prosperum lib. 3, c. 20. *Fortis est, quem non blanda dissolvunt, nec adversa deiciunt.* Duo igitur sunt generalia ejus officia. 1. Labores, ac pericula sustinere, ac pati. 2. Eadem pericula, cum oportet, adire, & aggredi.

Conf. 2. Incitamenta. 1. Fortitudo sustinet alias virtutes, ut truncus arboris ramos, folia, flores, fructus. 1. ad Cor. 15. *Estote stabiles, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper.* 2. Deus ipse vult esse fortitudo nostra. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Hanc conservamus parva, & non habita comparamus; ardua enim audet, ut augeat, dura sustinet, ut comparata conservet. 4. Exempla Christi, qui in fortitudine hac vitam contemnente sicut coram Anna, summā libertate respondendo, coram Caipha Filium Dei se confitendo, coram Pilato se Regem esse iteratè pronuntians. Peccatores summā libertate reprehendit, imò & populares suos, & Phariseos. Eandem Fortitudinem in causa Dei nos docuit: pusillanimitatem in Discipulis reprehendit sapius. Pro hac superanda nobis amabilissimam suam Pietatem objecit. *Actiones ejus sunt:*

Feria 2. Domin. 15. post Pentecost. 489
sunt: 1. Pericula mortis, & mortem ipsam animosè excipere. 2. pericula & eventus molestos ac acerbos propter defensionem Virtutis tolerare. 3. Mentem in adversis, ne terreatur, confortare. 4. Laborare ut semper exerceatur Fortitudo in bonis, licet multa obsistant, nec vincatur malis. 5. Tentationes demonis ferre & rejicere, nec ob eas dimoveri à præceptis, vel consilijs Evangelicis. 6. Ardua ob protectionem aggredi, & in Deo adjuvante confidere. 7. Mentis tranquillitatem in adversis conservare, & gaudere in tribulatione. 8. Pericula, & molestias, quas omnes vires nostras excedunt, sine anxietate vitare, & nos, si absque scandalo possimus custodire.

MEDITATIO CCLXXV.

Feria 3. Domin. 15. post Pentecost

De gaudio spiritûs.

Aspiciam Dominum IESVM exultantem in Spiritu sancto, veri gaudij Auctorem, Luc. 10. Petam ejus fieri particeps.

Cons 1. Quòd gaudium sit affectus voluntatis de præsentia Dei in bonis per gratiam.

Cons 2. Actus gaudij spiritualis 1. Latari de assistentia per essentiam, præsentiamque omnem divinam, de unione hypostatica, de præsentia Christi in sacratissima Eucha-

X 5

ristia,